Frischlin, Jakob: Encomion Heroicvm Latinvm Reutlingae, Sacr. Roman. Imperij Ciuitatis Liberae: Ad Prvdentissimvm et Lavdatissimvm Senatvm Revtlingensem ...

Tübingen, 1602 Seite 10b



Christi Ablaß butzt fegt / vnd reiniget das gewissen: Deß Pabsts Ablaß reiniget vnnd leeret die Seckel.

*Sed mihi responde, quod nunc rogo, Carolus inquit:*
*Quid differt Christi, Papæq; remissio culpæ?*
*Protinus Aulberus, veniam da Maxime Cæsar*
*Inquit: & hoc nostrum clementer percipe verbum,*
*Subleuat, & purgat diuina remissio Christi,* "
*Et mentem pectusq; lauat, peccataq; tollit:* "
*Expilat loculos nummata solutio Papæ:* "
*Sic ait Albertus: constanti & pectore firmo.*
*Annuit huic etiam subridens Carolus inquit,*
*Et recte, & verè respondes, vade Minister*
*In patriam, quà te nos huc reuocauimus, vrbem,*
*Et sis pacificus Sueuo, & super orbe quietus.*
*Sic redit Aulberus Reütlingam saluus ad vrbem*
*Quem multi ciues socij comitantur ouantes,*
*Cum reliqui Aulberum comburier igne putarent.*
*Sed Deus incolumem seruauit maximus illum*
*Longæuumq; senem, numerosâ & prole beatum*
*Reddidit, & seros duxit de stirpe nepotes,*

M. Matthæus Aulberus, ciuis & Aduocatus Stuccardianus.

*Cuius adhuc patrio Matthæus nomine dictus*
*Filius ingenuus Stuccarda viuit in vrbe*
*Iudicio pia iura bono moderatur, & æquam*
*Iustitiam pressis æquali lance ministrat.*
*Ingenio studioq; pari quoque frater ibidem*
*Theiophilus viuit vir iustus, honestus, & æquus.*

M. Theophilus Aulber filius secundus.

M. Matthæus Aulber pastor Ecclesiæ Neustadiensis ad Cocherum, nepos Doctoris Matthæi, & Marci filius, qui fuit pastor in Beinstein ad Rembũ in agro Vvayblingensi.

*Filius & Marci fratris post fata, relictus*
*Matthæiq; nepos pastor, verbiq; minister*
*Neustadij notus, qua Coccharus alluit amnis,*
*Et Tiliæ decus excellens mirabilis arbor*
*Crescit in immensum cum denso stipite truncum.*
*Qui crasso tredecim spacio complectitur vlnas,*
*Et triginta patent à ramis vndique passus:*
*Sed nunc Schorndorffi præstans pietate Decanus*

Præ-

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/frischlin1602/0020
© Universitätsbibliothek Freiburg